

33

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
VESICATORIORVM
PARTI DOLENTI APPLICATORVM
VSV SALVBRI ET NOCIVO

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRAE PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA ET CHIRVURGIA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XX. IVNII, A. R. S. MDCCCXXVI.

PVBLICE DEFENDET

CHRISTIANVS FRIDERICVS WEITZMANN
MAGDEBVRGICVS.

MALAE MAGDEBVRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.

INSTITUTIO INVENTORII MEDICI
DE
VEGETABILIORUM
PARTI BOHNI ALIMENTORUM
VSV SALVARI ET NOBIS

CONSENSVS GRATIOSVS ORDINIS MEDICORVM
ET ALMA MATER UNIVERSITATIS
PRAGENSIS

VRO HONORABILIS FACULTATIS
D. ANDREA FLIA BUCHNERO

PROFESSORIS
MAGISTRI
MAGISTRI

PROFESSORIS
MAGISTRI
MAGISTRI

CHRISTIANVS FR. WITTMANN



§. I.

Introitus.

*Vesicatoria parti dolenti applicanda commendantur
in capitis dolore.*



Si Medicus, in curandis diris aegrorum morbis occupatus, nimiam audaciam fugiat necesse sit: certe non minus illius officium postulat, ut caueat, ne, nimis erga aegros mollis, agendi tempora negligat. Media qui incedit via, tutissimus ibit; in vtramque partem inclinans non irreparabilem saepe noxam aegris suis inferre. Quare remedia, quae temeraria primo iuritu videntur, quorum vero intermissus vsus non raro nimiam prodit Medici mollitiem, singularem sibi vindicant expositionem. Talia sunt, quae parti dolenti applicata, nouum excitando dolorem morbos dolorificos curare dicuntur. Vsfiones Veterum nunc fere negliguntur, vesicatoriis iis substitutis, quorum maxima celebratur a recentioribus praestantia. De his ergo dicam, comparans ea cum natura morborum, in quibus descripta ratione commendantur. Laudantur vero primo in *capitis dolore.*

RIVERIVS, testante id *Illustr. b. m.* HOFFMANNO, primus ea huic dolori opposuit. Haec vero habet: *Ac denique in contumaci dolore & inueterato omnia conuenientia remedia, quae pro curatione frigidae intemperiei cerebri fuerunt proposita. Inter quae non infimum locum obtinent emplastra epispastica.* Vid. *Lazar. RIVERII Prax. medic.* Tom. I. pag. 43. Secutus illum est WEPFERVS, qui tori raso capiti emplastrum vesicatorium instar cucuphae imposuit, cuius effectus hic fuit, ut sine obortis vesicis magnam feri viscerum copiam subtraxerit (*Illustr. b. m. HOFFMANNI Medic. ration. system.* Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. I. §. V.). Eo vero usus est WEPFERVS, quando malum grauius fuit & ubi a sero, sub cute capitis stagnante, tumor visus, nec non ex dolore tactu cognosci potuit. HOFFMANNVS vesicatorio quidem, verum ad nucham applicato, usus est (l. m. cit.), licet in dolore fixo fere simile remedium fluaserit (l. c. §. VI.). Neque forsitan ab ea sententia alienus est celeberr. TRALLEs, qui in *Tract. de Usu Opii salubri & noc.* Sect. II. pag. 221. & 222. de Cephalalgia: ceterum vero, inquit, *Venaesectioes in brachio vel pede, hirudines circa tempora, post aures, vel parti ipsi dolenti applicatae, scarificationes occipitis, clar. WALTHERO magni factae, raso capitis & ablutio cum oxycrato, epispastica, vesicatoria, vapores naribus hausti, sola forte sunt ea, quae iuuant & iuuare possunt.* Is autem vesicatoriorum usus ad serosam cephalalgiam spectat.

§. II.

Vesicatoria commendantur in rheumatismo, artbritide & malo ischiadico.

Illustris b. m. HOFFMANNVS vesicatoria suo applausu in scapularum rheumatismo dignatus est. *In rheumatismo,* inquit, *scapularum incipiente, nihil est praeslantius vesicatorio intra*

intra scapulas posito. Si vero in plethoricis accidit, quod saepius obseruauit in foeminis post cessantem circa annum quinquagesimum mensium fluxum, cucurbitulae cum scarificatione partibus inferioribus singulis mensibus appositae, inuamentum attulerunt insignissimum. Conf. l. c. Sect. II. Cap. VIII. pag. 448. §. VIII. Dum etiam HVXHAMVS (Oper. phys. med. Tom. I. pag. 364. 365.) rheumatismi, ab acri & serosa colluue oriundi, curationem tradit, addit demum: *Locis pertinaciter dolentibus idonea admoueo fomenta, mox dein vesicatoria.* Sed in arthritide quoque laudantur. Tandem in dolore diuturno, inquit RIVERIVS, dum l. c. pag. 381. seqq. loquitur, & valde contumaci, a materia praesertim frigida oriundo, confugiunt nonnulli ad vesicatoria, partibus affectis adnota. Eorum mentionem facit SENNERTVS, sed quae anodynus permisceantur. At emplastro vesicatorio, quod in nostris officinis habetur, solo & impermixto, sapientissimus VARANDAEVS, praceptor meus, feliciter usus est, eoque curauit magnum & contumacem tumorem genu occupantem, cum alii Medici multas purgationes & dietam sudoriferam, nec non topica permulta frustra usurpassent. Numquam vero magis, quam in malo ischiadico, vesicatoria forsitan celebrantur. RIEDLINVS enim, SCVLTVS, LENTILIVS, BOERHAAVIVS & alii plures eadem extollunt, quibus adstipulatur celeberr. TRALLES (l. c. pag. 315.). Postquam enim illorum & Medicorum quorundam Anglicorum sententias, in laudem vesicatoriorum enuntiatas, adduxerat, haec adiecit: *Miror ergo clar. MEAD vesicatoria, tantopere ab aliis laudata meoque proprio testimonio magni facienda, & sinapismis sine dubio efficaciora, pro remediis non multum inuuantibus declarare, cum humor molestus atque membranis os circumcingentibus infixus haereat, atque epithema volatile & emplastrum ex pice, ad-*

dita euphorbii octava parte cum terebintina Veneta, efficacius habere. Euphorbium certe acerrimum est concretum gummoso-resinosum; sed nibilo potentius id habeo, acerrimo & caustico stimulo pollutibus cantharidibus, neque profundius illud sese in corpus insinaturum credo, quam has, quas adeo mictu sanguineo provitato, altius in eius penetralia intrare satis constat. Neque minus *Illustr. de HAEN* vesicatoriis in hoc morbo, parti dolenti adplicatis, fauere videtur. Ita enim (*Ration. medend. Part. IV. pag. 164.*) loquitur: *Ad inunctiones & cucurbitas merito referimus lata vesicantia nostra. Clariss. BOERHAAVE* aiebat saepius nobis, si vellet arcanum quoddam vendere, id fore testas & sub alia specie occultatas cantharides in ischiadicis. Hoc remedium emplastri forma, palma manus maius, adplicabat coxae, & dein post ingentem vesicam contractam auferebat, vulnusque percurabat: dolore non abeunte, repetebat idem octiduo post, idque aliquoties ad tertiam quartamue vicem, quamvis raro id sibi contigisse testaretur, ut quarto emplastro indigeret. Innumeri sunt, quos in nosocomio hac methodo ab annosioribus hisce aerumnis percuraverimus. Haec autem cura vix obtinet, ubi locus sponte exulceratur &c. *Celeberr. TISSOT* multum ad recuperandam sanitatem haec emplastra conferre testatur, dum (*Anleitung für das Landvolck pag. 191.*) die *Blasenpflaster*, inquit, auch andere Pflaster, welche eine Eyterung in diesem Theil veranlassen, tragen auch oftmals viel zur Genesung bey; sie würcken aber nicht so starck, als die Luftköpffen. Mann muß sie öfters wiederboblen. *Differit* autem de malo ischiadico. *Clariss. demum Frid. Casimir MEDICVS* multo adhuc magis vesicatoria hic dilaudat. Confer. *Sammlungen von Beobachtungen aus der Arzneymissenschaft II. Theil. pag. 548. seqq.* *Affirmat* enim, vesicatoria in malo ischiadico uturpata parique

que dolenti adplicata *inexpectatum* constituere remedium, lenire, quae antea leniri non poterant, atque dolorem tam atrocem brevissimo sanare tempore. Postea mali ischiadici originem praecipue a duplici causa repetit. Vnam acrimoniae tribuit, parti affectae illatae partesque irritabiles vehementer stimulant, raro discutiendae; alteram creditibus primarum viarum adscribit, quae ope partium consensus atrocem crearent dolorem. Priori casui vesicatoria destinanda esse putat. Posteriori causae medetur clariss. Vir remouendo impuritates & liberando primarum viarum canalem ab ea *noctua impressione, qua propagant dolorem*. Perduranti, his licet actis, dolori vesicatoria opponenda sunt. Concedit interea deim, vesicatoria non semper sufficere, atque valentiora nonnunquam remedia, qualia sunt ustiones, requiri.

§. III.

Laudantur vesicatoria in diuersis inflammationibus.

At enim vero commendantur vesicatoria in inflammationibus, partibus inflammatis adplicanda. Atque primo in angina magni ea facit HUXHAMVS (Dissert. de Angina maligna, Oper. physie. med. Tom. III. pag. 114.). Licet colli, inquit, parotidum ceterarumque glandularum tumor interdum tam subito, insignis & violens accederet, ut suffocationem minitaretur, eum tamen aliqua ex parte esse criticum generatim existimabam, indeque in eo promouendo cataplasmatibus acerbis, vesicatoriis ceterisque operam ponebam, imo variis temporibus collo ab aure ad aurem applicaui maximo cum successu vesicatoria. Quorum applicatio in angina consueta utilis est; multo magis vero in hac, ubi humores adeo acres sunt atque maligni. Clariss. etiam C. F. MEDICVS (l. c. pag. 301. seqq.) multus est in laudibus huius remedii, quando in primis

primis suffocatio instat. In diesem gewaltigen Zustande, inquit, habe ich solchen Krancken so gleich auf dem einen Fuß starck zu Ader gelassen, und gleich nach der Aderlasse ein breites Blasenpflaster hinten in das Genick geleyet, und so viel, als möglich gewesen, von einer kühlenden Saamenmilch dabey trincken lassen. Wann der Puls nach dem aufgelegten Blasenpflaster noch heftig, voll und dick war, so habe ich in dringenden Fällen gar kein Bedencken getragen, auch auf den andern Fuß noch vieles Blut heraus zu lassen, und mich zugleich bemühet, durch kühlende Clystiere den Abzug zu befördern. Celebrat dein hoc remedium, cum metum suffocationis sustulerit & impeditam deglutitionem restituerit. Sed in leuori quoque angina, ob dubium morbi euentum, vsum vesicatorii suadet (loc. cit. pag. 503. 504.). BOERHAAVIUS quoque, vt videtur, vesicatoriis fauet in periculosissimo anginae statu, quem §. 809. Aphorism. de cognoscend. & curand. morb. affert. Tunc enim n. 5. vapore humido, inquit, molli, tepido assidue hausto; fomentis externis; deriuantibus epispasticis, cucurbitis, sinapismis, collo & pectori appositis, opus est. Celeberr. TISSOT non nisi obscure vsum vesicatorii in quadam anginae epidemicae specie innuit (loc. cit. pag. 139.). Longe autem magis adhuc in pleuritide & peripneumonia vesicatoria laudantur. Venerandus MEAD (Monit. & Praecept. med.), dum de Pleuritidis curatione disserit, in hac, inquit, detracto primum, quantum opus est, sanguine, ad tussim leuandam, olei ex seminibus Lini recens expressi potiones; ad refrigerandum, vitrum; ad sanguinem in canaliculis suis haerentem soluendum, sanguis hirci syluestris, saliaque volatilia: denique ad foras extrahendum peccantem humorem, emplastrum vesicatorium laterii affecto impositum, insigniter prosunt. Et externi quidem huius remedii commodum, quod a sagacissimo MAYERNIO primum

num edoctus fui, multis iam annis compertum habeo — BRENDÉLIVS, PRINGLE, & SCHREIBER vesicatoria hic dilaudant. Perillus. van SWIETEN, notata prius variis in casibus vesicatoriorum, lateri dolenti in Pleuritide applicatorum, noxa, haec adiicit: *Vbi autem post sanguinis euacuationem requisitam minutus fuit multum febrilis impetus, nec in urina aut fecibus aluinis putredinis signa apparent, & tamen dolor manet, vel pulmo oppleri incipit, tunc videtur, a vesicatoriis multum boni posse expectari. Vidi in tali casu dolenti lateri applicatum fuisse vesicatorium, quod & ipse aliquando feci, fausto cum euentu. Confer. EIVS Commentar. in Aphorism. BOERHAAVII Tom. III. §. 890. pag. 48. Celeberr. TRALLEs (l. c. Sect. II. pag. 211.) monet, vesicatoria, in febris intensitate, minime admitti in Pleuritide posse. Magis videtur, inquit interea, usus eiusmodi emplastris valde irritantis indicatus, quando vis vitae languet, impetusque humorum in locum affectum nimis torpidus, solutioni & discussioni molis stagnantis insufficiens futurus iudicatur —. Recordor, pergit, foeminae laxae, pallidae, cacochymicae, leucorrhoea adfectae, tandem pleuriticae, cum febre mediocri. Tribus Venae sectionibus sanguis detractus cum corio multo & denso. Data omnia resoluentia congrua, applicata fomenta, sed perdurabat nibilo minus pertinax dolor, nulla crisi sese manifestante, sed & sine ulla febre, quae tantum stagnans coquere potuisset, urina etiam naturali simili exsistente. Hic sane locum idoneum esse credebam, ut vesicatorii mentionem iniicerem, sed quia id valde horrebat aegra, oleum amygd. cum camphora loco dolenti adplicabatur, pulueresque camphorati deglutendi exhibebantur, Selteranis pro potu inseruientibus, sicque tandem malum superabatur. Porro clariss. WHYTT vesicatoria pleuritidi magis, quam peripneumoniae verae conuenire, asserere*

videtur. Confer. *Comment. de reb. in Scient. natur. & Med. gest.* Vol. X. pag. 138. His vnicum tantum clariss. F. C. MEDICEVM adhuc addam; is enim maxime sibi sumsit, ut usum vesicatoriorum, parti adfectae applicatorum, in pleuritide & peripneumonia ostenderet. Confer. l. c. pag. 499. seqq. Comoda, ab usu huius remedii expectanda, describit pag. 540. seqq. Ad haec vero redeunt: vesicatoriorum nempe usus primo efficit, ut cito sanetur morbus (§. 15.); secundo ut maligna forsitan acrimonia praesens, priusquam explicetur, eliminetur (§. 16.); atque sic purpuram aliaque exanthemata, istis morbis superuenientia, praecaueri posse credit; tertio ut spuito ad soluendum morbum non opus sit (§. 17.). Praeter haec modum etiam agendi determinat (§. 12. seqq.). Hunc nempe absolui putat, dum vesicatoria 1) internum solvunt spasmus, quod doloris quasi deriuatione & partium consensu perficiatur. 2) Resolutionem inducunt atque hinc solvunt inflammationem; quapropter cum PRINGLIO statuit, vesicatoria, aliis partibus admota, facile nocere, parti autem dolenti applicata minime inferre noxam (§. 13.). Demum 3) materiam acrem, causam febris inflammatoriae, educunt (§. 14.). Hac triplici itaque ratione vesicatoria in pleuritide & peripneumonia salubrem suum effectum ex clar. MEDICI sententia producant. Dicam hac de re postea.

§. IV.

Vesicatoriorum actio & effectus generatim.

Atque haec de variis Medicorum circa usum vesicatoriorum, parti dolenti applicatorum, sententias. Superest, ut hae limae subiiciantur. Quod ut cum ratione fiat: opus est, ut actionem vesicatoriorum, laesis partibus admotorum, cum dolorum natura comparemus. Actionem itaque & effectus vesica-

vesicatoriorum primo pensitabimus loco. Duplicis vero indolis isti sunt effectus. *Alii* enim ab irritatione partis oriuntur, cui adplicantur vesicatoria; *alii* contra ea ab absorptione acrii quarundam particularum reperi debent. Vtriusque naturae effectus paullo exactius considerabimus. Vesicatoria nempe, ex acrioribus animalculis parata, quorum sal, aqua aliove liquido adperso, solutus, aut materiae perspirabili admixtus, cutim, sensibile adeo corpus, immediate, aut destructa demum epidermide, ingreditur, non poterunt non eminentem efficere irritationem, cuius sequelae ad *dolorem & congestionem* reduci possunt. Prior, ab irritatione neruorum, per cutim disseminatorum, productus, pro gradus & subiectorum diuersitate, circulum sanguinis intendit, humores coaceruat, inflammat, spasmos creat. Posterior extendit partem inque vesiculas, quae crepaturam patiuntur aut alio modo soluntur, eleuat, effluxui fluidorum continuato fauet, deriuat atque reuellit. Vt ergo, si vtriusque huius effectus sequelae inter se comparentur atque ad aegras alias partes adplicentur, contraria saepe oriantur & obseruentur phaenomena. Subiectorum etiam ratio hic habenda. Pro maiori enim minoriue sensibilitate & irritabilitate, proque maiori minoriue circuli humorum intensitate, valdopere praedicti effectus variant necesse est, cum effectus semper eo sit maior eoque facilior, quo maior est, quae obtinet, ad eundem dispositio. Dum autem acria ista corpora soluta cuti inexistunt: fieri aliter non potest, quin vasa absorbentia massamque demum sanguinis ingrediantur. Hanc idcirco solunt, ad putredinem egressumque disponunt, cor irritant & ad valentiores contractiones sollicitant, circulum humorum intendunt & quae hinc infinita sequuntur producere possunt. Quam pulchre haec cum obseruatis fide dignis consentiunt! Legantur ideo, quae de vesicatoribus

cantibus egregie differuit BAGLIVIVS (*Oper. omn.* p. 647. sqq.). Sanguinem & serum solui ab admixtis cantharidibus obseruauit (Exper. III. IV.), & canes a cantharidibus sitim vehemētissimam percipiebant atque, postmodum mortui, sanguinem nigerrimum & dissolutum ostendebant (Exper. I. II.). Neque minus haemorrhagias febrisque incrementum ab admotis vesicantibus obseruauit, ut mirum hinc non sit, quod cantharides, testante ipso BAGLIVIO (pag. 648. Exper. II.), caput imprimis afficiant. Eadem, quae BAGLIVIVS obseruauit, consignauerunt alii. Liceat autem in re adeo explorata vnicum tantum addere testimonium. *Dum toties*, inquit clar. TISSOT, *odontalgia correptae mulieres, muliercularum suusu, pone aures aut ad ceruicem cantharides applicari curant, quoties tolerabilis morbus in saeuam increuit inflammationem, cum graui cephalalgia, venaectione & refrigerantibus curandam, Virum vidi, quem vesicatorium emplastrum, ceruici appositum, ut catarrhosum ad dentes decubitus prostrigaret, in soporem coniecit vix post viginti quatuor horas excutiendum. Vidi anno 1757. in alia vrbe foeminam sexagenariam, sanguineam, polysarcam, apoplexia correptam. Post venaectionem, enemata, purgantia aliaque haud proxsus imperite gesta, ceruici, sub eadem pbarmacopolae tutela, opponebantur vesicatoria. Vix nisi spectator, credidissem, totius inde dorso pblogosis, angina, acuta febris, auctus sopor iam iam discedens, suui dolores, crudelis anxietas, indefinens inelatio, horrenda mors. Hivs Epist. de Variol. Apopl. & Hydr. p. 98. 99. Confer. etiam Illustris. PRAESIDIS Fundam. Therop. general. Sect. II. Cap. X.*

§. V.

Vsus & abusus vesicatoriorum generatim.

Si actio & effectus vesicatoriorum recensiti considerentur: vsus & abusus illorum exinde satis elucescere possunt. Non poterunt enim non *nociuos exserere effectus* 1) in morbis, qui dicuntur *calidi*. Eiusmodi enim morbi, a sanguinis phlogosi oriundi, ab usu cantharidum irritantium sanguinisque circulum intendentium adaugentur. Damnat idcirco vesicatoria in apoplexia sanguinea clariff. TISSOT l. c. in vulneribus capitis & intensiori febre BAGLIVIVS, & in morbis sanguineis *Illustr. PRAESES* l. cit. §. XXIX. 2) In haemorrhagiis aut a mobilitate sanguinis, aut ab eius resolutione, aut ab impetu fortiori productis. Dum enim vesicatoria sanguinem resoluunt atque cum vasis irritant: fit inde, ut eiusmodi haemorrhagiae incrementum accipiant. Quare *Illustr.* etiam PRAESES ea in prodigiis haemorrhagiis, aut grauioribus etiam moliminibus haemorrhagicis contraindicari l. c. asserit. Negari equidem non potest, quod vesicatoria deriuent & reuellant, atque eo respectu efficere possint, ut haemorrhagia, imminuta sanguinis ad locum haemorrhagicum copia, decreseat. Dum autem non vnice deriuant, sed etiam causas haemorrhagiarum varias augent: eorum in praedictis haemorrhagiis effectus semper erunt nociui. *Memini*, inquit BAGLIVIVS, *quendam torminibus spasmodicis infirmi ventris cum febre &c. moleste laborantem, post adhibita in Xenodochio vesicantia, excreuisse per secessum insignem copiam sanguinis rubicundissimi & paulo post periisse.* Confer. l. cit. pag. 652. Atque dein: *non solum gangraenam, verum etiam & mictus sanguineos, & ardores vrinae & alia vesicae mala frequenter generant vesicantia, praesertim in gracili corporis habitu, in calido & sicco temperamento, aestiuo tempo.*

tempore sub ardore caniculae & similibus (l. c. pag. 653. III.). Quodsi nunc vesicatoria, sibi etiam relicta, haemorrhagias excitare valeant: nonne has eo facilius producent aut potius grauiore reddent, quando enatae iam sunt? 3) *In diathesi sanguinis inflammatoria.* Nocua enim tunc sunt, quaecunque sanguinis circulum intendunt. Verum ad causas intensioris sanguinis circuli pertinent cantharides. Prouocari hic quidem posset ad effectum resoluentem, quem adeo vehementer exerunt cantharides, vt sanguinem ideo ad putredinem disponant. Sperari inde posset, fore, vt diathesis, quam contraxit sanguis, inflammatoria non solum destruat, sed stasis quoque inflammatoria, inde enata, saluberrime tollatur. At enim vero miserum sane erit, quod a resolutione ista desumitur, solarium. *Primo* enim corpora aut eorum qualitates dantur, quae satis valide resoluunt, hac vero ratione nihilo secius diathesin sanguinis inflammatoriam adaugent, immo produciunt. Opium & calor exemplo esse possunt. Illud valdopere sanguinem attenuat & ad putredinem disponit; docuit tamen celeberr. TRALLES, eodem minime in inflammationibus generatim vrendum esse, cum nimis facile fiat, vt inflammationem & diathesin inflammatoriam adaugeat. De calore idem dicendum. Quamuis enim resoluat, attenuet, nihilominus, productus in corpore humano, diathesis inflammatoriae grauissima existit causa, vt praesentem etiam longe grauiorem reddat, quod inflammationes a calore nimio auctae satis commonstrant. *Dein* certum est, resolutentia non posse, si fortiora fuerint, in inflammationibus conducere, licet densitatem sanguinis soluere videantur. Saepius enim, soluendo sanguinem, aquosam humorum materiem, parciorem iam copia in inflammationibus grauioribus praesentem, eliminant ita, vt residui humores eo magis condensentur. Perniciosi

ciosi autem sunt, qui inde oriuntur, effectus, pulcre id notante HUXHAMO loc. cit. pag. 22. Tom. II. *Hoc, inquit, bene notandum est, ubi copiosam diluitionem a refrigerantis & relaxantis indolis liquoribus sequitur moderatus & vniuersalis sudor, illum plerumque esse criticum & breui febrim fugare. Moderatum inquam sudorem; nam profusus aliquis in febrium principio neutiquam vrgendus est, cum partes sanguinis educat leuissimas & residuum nimis viscidum & ad obstructions aptum relinquat. Singularem vero ratione, illum in principio pleuritis, peripneumoniam atque variolarum pessimum praebuisse effectum, saepius obseruauit. Atque eandem ob causam profusae alui aut urinae limpidae euacuationes sunt periculosae.* Resolutio itaque, quam a vesicatoriis speramus, minime salubris dici poterit, cum euacuationes nimias pedisse-
quas habere possit. Certe ut calida volatilia, ut alexipharmaca in inflammationibus damnantur, licet effectum exferant resoluentem (HUXHAMVS l. m.): ita vesicatoria quoque in iisdem, generatim consideratis, damnare fas est, cum facta cantharidum absorptione, corpus ad sanguinem vehatur, quod omnibus volatilibus & alexipharmacis substitui potest. Historia, quam BAGLIVIVS enarrat l. c. pag. 69. corroborat ea, quae hic a nobis allata sunt. Iuuenis nempe gracilis & biliosi temperamenti, paullo ante sanatus a bubonibus venercis, postquam foco incaluisse, aquilonari vento se exposuit, & exinde in anginam incidit, quae mox desit in pleuritidem cum sicca tussi, calore febrili exurentissimo, pulsu duro & alto, vigiliis, siti, urinis crassis & summo opere rubicundis. Circa duodecimum diem datus fuit a Medico puluis Cornachinus, die vero sequenti sex vesicantia apposuerunt gracillimo corpori. Decima quarta die superuenerunt delirium, suppressio sputi, tremor carnum, motus epileptici, pulsus & respiratio inaequales.

quales. *Vrinae erant copiosissimae*, deiectiones per secessum biliosae ac foetidae, sed sine vilo symptomatum leuamine: die decima sexta mitigata sunt omnia: sequenti nocte recruduerunt omnia vehementissime cum *sudore vniuersali copiosissimo glutinoso* & acidum olente, qui vsque ad vigesimum morbi diem durauit, eoque die mortuus est aeger. Plura haec historia docet, inter alia vero, applicata vesicatoria nocere in inflammationibus ex ea etiam ratione, quod excretiones nimis intendant. *Praeterea* vesicatoria circulum sanguinis intendunt. Quamuis itaque resoluant: noua tamen eodem saepe gradu oritur diathesin inflammatoriam determinans causa. Vnde mirum etiam non erit, quod gangraenam excitent (BAGLIVIVS l.c. pag. 653. III.) & inflammationem antea non praesentem accendant. Confer casum, quem §. antec. proposui, vt a clariss. *TISSOTO* enarratur. Perpendere *postea* debemus, statim inflammatoriam, in vasis arteriosis sanguiferis enatam, solui congrue non posse, nisi stricta simul vasa apte laxentur. Notat id laudatus *HUXHAMVS* (l. c. pag. 21.). Affirmat enim, nimiam fibrarum tensionem naturaliter concomitari solere nimiam sanguinis velocitatem, calorem & densitatem, quae veram febris inflammatoriae constituent essentiam; hinc vero balnea & diluentia, quae relaxent vasa, in inflammationibus pulcre conducere. Cantharides autem minime relaxant, irritando potius, sanguinis diathesin inflammatoriam augendo motumque sanguinis intendendo, stricturam exacerbant longe magis, quam minuunt. Minime ergo, quamuis massam sanguinis soluant, sanguineis inflammationibus adaptari debent. *Denum* resolutio ipsa, quam cantharides in massa sanguinea efficiunt, ideo minime salubris erit, quod sanguis per eandem ad putredinem disponatur. Nonne enim hinc tristissima inflammationum sanguinearum solutio facilius continget?

Nonne

Nonne morbi, ex acrimonia oriundi, eo facilius ad inflammationem accedere debent? Quum ergo haec ita sint: abstinendum sine dubio erit a vesicatoriis, quando inflammationum sanguinearum suscipimus curationem, nisi res, quae circumstant, ea nonnunquam postulent. Neque est, cur sperem, fore, ut resoluens cantharidum effectus damna metuenda praecaveat; fusc enim ostendi, inanem hanc esse spem. Corroborare haec ea possunt, quae a celeberrimis Viris passim sunt adnotata. *Illustris* PRAESES vesicatoria, tamquam contraindicata, in grauioribus inflammationibus & affectibus congestoriis mere sanguineis, considerat (loc. cit. §. XXIX.). Clariss. TISSOT natam ex vsu vesicatoriorum obseruauit inflammationem (§. anteced.). Atque HUXHAMVS, vesicatoria, inquit, quae *sul acre quoddam sanguini addunt & fibras insigniter stimulant, certe minus conueniunt in principio, ad minimum in omnibus febribus ardentibus & inflammatoriis*. At quam saepe in praxi consueta videmus, aegrotis *larga satis in copia sanguinem emitti, vesicatoria applicari, & mox magnum exhiberi numerum calidorum alexipharmacorum, bolos, cardiacae ceteraque?* Quod profecto sic cum ratione conueniet, ac si quis partem magni incendii prius suppressere velit, & mox postea residuam partem extinguere aduiteretur, adiecto puluere pyrio aut vini spiritu; aut si equo aspero flagella & calcaria addere velis, quem demulcere cupias: quod sane fieri solet cum vesicatoriis, ubi vis vasorum oscillatoria nimia & fluidorum motus obseruatur rapidior. Noerent sapiens dictum illi, qui nociuos vesicatoriorum in sanguinis inflammationibus effectus norunt, eos interea temperantibus & aliis, quae methodus antiphlogistica suadet, praepedire cupiunt, retentis tantum iis, quos salutare esse putant. Demum 4) nociua erunt vesicatoria in spasmis ab irritabilitate aut sensibilitate nimia,

nimia, a sanguinis commotione, stasi sanguinea, & stimulo, quem eliminare non possunt, enatis. Dum enim ipsamet vesicatoria stimulant, has spasmodicorum causas auctiores reddunt. *In morbis pectoris spasmodicis*, inquit BAGLIVIVS, *inflammatoriis & a salino-acri constitutione sanguinis productis, semper in peius cessisse vesicantia pluries observauimus* (loc. cit. pag. 652.). Atque postea: *Post applicationem vesicantium observauit nonnunquam motus tendinum, veluti subsultorios & conuulsuos* — *In corporibus macilentis & gracilibus* (horum vero irritabilitas maior est) *caute usurpanda sunt vesicantia: nam si alicubi, hic facillime abortos vidi motus conuulsuos & febris exacerbationem* (loc. cit. p. 653.). Quod si autem vesicatoria motus conuulsuos, antea non praesentes, producere possint; quod si id imprimis in subiectis, maiorem irritabilitatem & sensibilitatem nactis, contingat: spasmi iam praesentes, in descriptis potissimum subiectis, eo facilius adaugeri possunt, atque semper id contingeret, nisi facta, quod haud raro fit, euacuatione stimuli, spasmi, tollendo causam, eum ipsum remouerent. Similia vero habet *Illustr. PRAESES* (loc. cit.). *Contra indicantur*, inquit, *vesicatoria & idcirco omitti debent, generatim in subiectis cholericis & melancholicis temperamenti, aetatisque infantilis & senilis, aut alioquin valde sensibilibus, speciatim vero in affectibus — contumacioribus spasticis ex causa sanguinea ortis — & procliuitate ad stranguriam & dysuriam*. Spectant etiam huc, quae habet celeberr. ALLIONIVS (*de Miliar. orig. progr. natur. & curat.* pag. 122. 123.). Observauit enim, ab usu cantharidum in febre miliari nonnunquam *maximam neruorum tensionem, minima de causa in conuulsionem euadentem*, oriri. Atque cantharides etiam, eodem adfirmante, in simplicissimi

morbi prima periodo nocent, cum sine vlllo emolumento va-
forum contractionem adaugeant.

§. VI.

Eadem materies continuatur.

Abusum vesicatoriorum generatim diximus; nunc er-
go eorum *verum* considerabimus *vsu*, ex abusu facile de-
terminandum. Vtilia nempe erunt vesicatoria, 1) quando vi-
res vitæ, *vere* languentes, excitandæ sunt. Vires enim vi-
tæ maxime ad sensibilitatem & irritabilitatem redeunt. Nunc
vtramque potentiam exagitant vesicatoria (§. IV.). Nonne
ergo vires vitæ excitabunt? Recte idcirco BAGLIVIVS in fi-
ne Dissertationis sæpius citatæ contendit, vesicantia in omni-
bus morbis conducere, *in quibus necesse est solvere, dinelle-
re, deriuare, excitare & similia agere pro morbi genio &*
practicantis experientia (loc. cit. pag. 666.). Clariss. TISSOT,
qui animose vesicatoriorum vsu in sanguinea apoplexia re-
iecerat, eum tamen in ea apoplexiæ specie, *quæ oritur in*
corpore nulla plethora aut phlogosi vitioso, sed quod cacecti-
cum humoribus turget crudis, aquosis, viscidis, maximopere
cum aliis commendat. *Hic sæpe*, inquit, *tam belle profue-*
runt cantbarides, quæ stimulant simul & reuellunt, profu-
susque sæpe excitant sudores, quibus plus, quam semel subla-
tum vidi morbum, modo sat diu fluere permittantur; hæc
enim est vis vesicatoriorum, totius cutis functiones expiran-
tes resuscitant, licet si vni parti applicentur. Conf. Epist.
citat. pag. 125. Celeberrimus ALLIONIVS, vsui vesicatoriorum
in febre miliari minime, vt vidimus, fauens, hæc nihilo mi-
nus dicit: *Si vis solidorum vasorum actionem excitandam ad-*
hiberi vesicantia poterunt (loc. cit. pag. 121. 122.). Atque ge-
neratim

neratim vescicatoriorum vsus in morbis exanthematicis, viribus tamen vitae ad expellenda exanthemata non sufficientibus, valdopere laudatur. 2) Quando lentor frigidus obtinet. Tunc enim vescicatoria eundem solvunt atque vasis, ea stimulando, robur addunt, vt cohaerentes nimium humorum particulas segregare valeant. Hinc BAGLIVIVS (loc. cit. pag. 655.) affirmat: *Quantum in constitutione sanguinis acri & colligativa obsunt vescicantia, tantundem conferunt in diathesi eiusdem crassa, viscida & ad coagulationes stagnationesque se disponente* —. Communicato namque acri cantbaridum sale humoribus ad coagulationem dispositis, eorum particulas disgregat, solvit & ad pristinam fluiditatem disponit. Atque eandem ob causam BAGLIVIVS videtur Medicos hortari (loc. cit. pag. 660.), vt in casibus desperatis, vbi pertinaces viscerum obstructions, cachexiae, suppressiones mensium pariter diuturnae, a sanguine crasso, coagulato & alicubi stagnante, adsunt, *cantbaridum vsum, vel forma emplastrum, vel alio commodiori modo experiantur, vt horum tam difficultium morborum curatio lucem aliquam exinde mutuetur, nec semper haereamus in limine.* Atque ideo etiam 3) vescicatoria conducunt in congestionibus frigidis, stasi frigida & mucosa & effectibus inde productis. Vescicatoria enim reuellant, solvunt, discutunt, eliminant (§. IV.). Sufficiat hic testimonium saepe laudati BAGLIVII, qui multa & egregia de vescicatoriis disseruit. *Qui gravissimae tussi, inquit (l.c. p. 660.), cum sputo crasso & copioso obnoxii sunt, a nullo remedium genere tantam utilitatem suscipiunt, quantam a vescicatorio, cervici appposito* —; *nam serosa illuvies, a compage sanguinis soluta & hinc inde exudans, deviuatur per vescicantia ab influxu, quem in pulmonem faciebat & ita tussim excitabat, vt pluries observauimus in Xenodochio, sive Medico praescribente,*

bente, & in se quoque ipso expertus est WILLISIVS. Demum
4) in spasmis, a causa frigida, sero acri atque stimulo, ob
languidam vim vitae retento, cum fructu possunt vesicatoria
vsurpari. Soluunt enim lentorem frigidum (num. 2.), educunt
ferum acre (num. 3.) & viribus vitae robur addunt (num. 1.).
Conf. *Illustr. PRAESES* l. c. §. XXVIII.

§. VII.

*Comparatio vesicatoriorum cum dolore eiusque
caussis generatim.*

Atque haec de salubribus & nociuis vesicatoriorum ef-
fectibus dicta sufficiant. Superest, vt haec, quae allata sunt,
cum natura dolorum, in quibus ad partem dolentem vesica-
toria applicanda laudantur, comparentur. Vt autem eo id
facilius perfici queat: iuuabit, vesicatoria generatim ad do-
lores eorumque causas primo referre. Dolor, nimium illud
potentiae sentientis incrementum, in se consideratus, non
poterit sane ab applicatis vesicatoriis vlla miscere ratione, vt
salutem inde percipiat aeger. Ipsamet enim vesicatoria dolo-
rem excitant in cute enormem, neque possunt vesicatoria for-
torem illum neruorum, qui in doloribus obtinet, tremorem,
cum ex acrioribus & irritantibus, quibus solis agunt, parriculis
constent, mitigare. Remedium sane, cuius maxima
virtus irritationi immititur, excitabit, non tollet sensationem.
Dolor equidem maior minorem obscurat, vt quaelibet sensa-
tio maior minorem obfuscat; quodsi vesicatorii ope maiorem
producas dolorem, quam qui praesens est, hic certo certius
imminui tolliue debet. Numquid vero dicere tunc poteris,
sanasse te aegrum? Nonne malum maius efficiendo minus
profligare intendis? Si itaque in curandis doloribus auxilium
in vtendis vesicatoriis quaerimus: non dolor, in se considera-
tus,

tus, sed illius causae attendi debent. Quodsi autem harum rationem habeas: perspicies facile, alias augeri, alias minui, alias neque decrescere, neque increcere posse, quando iisdem vesicatoria opponuntur. Perpendamus ergo haec paullo accuratius. Dolor nonnunquam originem suam a causa frigida sumit, in iis nempe casibus, ubi mucosa & viscida materies nervos premit & extendit, aut serosa colluies vel congesta, vel acris nervos diffrakit, irritat. Totius tunc curationis fundamentum in eo sine dubio positum erit, ut materia ista attenuetur, deriuetur, eliminetur. Verum haec omnia perficiunt vesicatoria (§. IV. & anteced.). Saluberrimus itaque erit in his morbis, cum dolore coniunctis, vesicatoriorum effectus. Alius autem dolor a causa calida pendet, nempe a sanguinis commotione, phlogosi, inflammatione; oritur quoque a sensibilitate & irritabilitate, leui tantum accedente causa. Vesicatoria tunc adhibita non solum non minuere possunt dolorem (§. V.), sed eundem etiam augere debent (§. citat.). Demum dolor nonnunquam a fractis, luxatis, cariosis ossibus aliisque similibus causis pendet. Incaustum tunc adhibebuntur vesicatoria, cum causa doloris quasi intacta a vesicatoriis relinquitur. Quae cum ita sint: intelligitur non solum, vesicatoria non posse unicuique dolori opponi, sed inclarescunt etiam casus generales, in quibus hoc remedium cum fructu adhiberi potest. Hoc nempe fiet 1) quando congesta materia frigida dolorem excitat; 2) quando similis materia magis condensata, producta obstructione, partes dolentes replet; 3) quando materia acris partes ea ratione irritat, ut eius tam deriuatio, quam eliminatio vesicatorii ope impetrari possit. In omnibus reliquis casibus, vel incaustum vsurpantur vesicatoria, vel doloris exacerbant causas, cum quarum augmento dolor ipse increcit. Atque hoc casus, pas-

sim

sim a me in §§. antecedentibus allati, luculentius ostendere possunt.

§. VIII.

Comparatio vesicatoriorum cum effectibus dolorum.

Prouti vesicatoria sua natura dolorem efficiunt: ita dolorum effectus, generatim considerati, ab usu vesicatoriorum potius crescunt & facilitantur, quam praepediuntur. Omnes enim dolorum effectus pendent partim a validiori neruorum actione, partim ab incitatione irritabilitatis, cuius magnum est cum vi sentiente commercium. Sed in utramque potentiam vesicatoria agunt, utramque intendunt. Nunquam itaque dolorum effectibus, causae suae respectu consideratis, opponi possunt. Poterunt interea alia ratione in praecauendis dolorum effectibus maximae utilitatis esse. Quando nempe 1) causam doloris atque cum ea dolorem ipsum tollunt (§. anteced.); 2) causam noui doloris, a priore haud raro oriundi, rescindunt, idque deriuando & eliminando; 3) languentes a dolore vires erigunt (§. VI. num. 1.); 4) viscidam materiam, a dolore nonnunquam collectam, soluant, eliminant. Huc spectat obseruatio BAGLIVII. *Observauit, inquit Vir post fata adhuc celebris, in pleuritide, ut ut praecesserit, vel non praecesserit sanguinis missio, quandoque circa quintum, vel septimum, vel aliis intermediis diebus apparere magnam spirandi & expectorandi sperti difficultatem, quae patientem in summum vitae discrimen coniecerat. Irritis aliis duo vesicantia tibiis, vel cruribus admoda, non solum expectorationem, quae primaria crisis est morborum pectoris, fere ad stuporem statim promouebant, verum etiam & spirandi difficultatem leniebant cum mutatione morbi in melius. Maiora dico. Quacumque die in pleuriticis spirandi*

spirandi & exscreandi sputi difficultas successerit, statim applicanda sunt duo vesicantia tibiis, prout etiam sentit HIPPOCRATES. Confer. l. c. pag. 655. 656.

§. IX.

Actio vesicatoriorum in partem dolentem, cui admouentur.

Docent haec a nobis §§. VII. VIII. disputata, quem habeant ad dolorem generatim vesicatoria respectum. Restat adhuc, ut eum illorum effectum peruestigemus, quem in partem dolentem exserunt, quando eidem adplicantur. Nunc facile patet, partem dolentem eadem ratione, sicuti quaelibet alia cui admouentur vesicatoria, actionem eorundem praeter ceteris perferri debere, atque id eo magis, quo magis praesens in ea regione dolor partem adfectam sensiliorum reddit. Grauiissima ideo istius partis nascitur irritatio, quam proportionati (§. IV.) excipiunt effectus. Quare summa quidem & velox humorum a parte dolente deriuatio, sed maxima etiam ad eandem fluidorum producitur accumulatio. Quodsi ergo causa doloris deriuationem admittat, quodsi loca ipsa, in quibus haeret, satis sint laxata, ut ea transire queat, confluent deinde ad locum, ubi deriuans applicatum est vesicatorium: sperare tunc possumus, fore, ut dolor citissime soluitur. Neque tunc noua humorum ad partem dolentem accumulatio adeo metuenda erit, cum continuatus materiae effluxus damna praecaueat. Quodsi contra ea materia, quae excitat dolorem, loco moueri nequeat, aut loca nimis sint coarctata ac stricta, quae, antequam excerni possit materia, permeare debet: vesicatoria ita applicata non solum non minuent, sed vehementer etiam adaugebunt dolorem, idque tam solida stringendo, quam fluida ad locum dolentem coaceruando.

uando. Porro: si impetus humorum versus locum dolentem aut moderatus sit, aut minor, quam fas est, humores ad partem dolentem coaceruati vero blandi sint satisque attenuati: tunc vesicatoria parti dolenti applicata nullam inferre possunt noxam, sed potius, si causa doloris remotionem admittat, per vesicatoria obtinendam, eam tollendo dolori medebuntur. Si autem sanguis versus locum dolentem non solum magna cum vehementia vehatur, sed etiam lentorem contraxerit: vesicatoria erunt nocua. Dum enim vesicatoria irritant: stricturam vasorum, ab impetu sanguinis & lentore iam enatam, augebunt, atque cum ipsamet sanguinem commoueant & lentori fauere queant (§. V.), non possunt non parti iam dolenti nouam doloris causam inferre. Vid. exemplum, quod adduxit celeberr. *TISSOT* (§. IV.). Praeterea si subiectum laxum aut rigidum, causaque doloris materia viscida, mucosa, serosa acris fuerit, poterunt cum salutaris euentu vesicatoria applicari, cum debiles naturae vires erigant (§. VI.), rigida vero subiecta minus stimulent, attenuent, serosum acre euacuent. Si vero subiectum gracile, aut strictum, cum maiori sensibilitate & irritabilitate; si causa doloris in sanguine mobiliori aut sero acris, ad producendam inflammationem apto valdeque procliu, lateat: vesicatoria non facile possunt cum fructu adhiberi, cum nimium tunc commoueant causamque doloris augeant. Demum: si causa doloris in arrosione partis dolentis quaerenda sit, aut causa doloris eam partis arrosionem iam procreauerit: vesicatoriorum applicatio vel nihil, vel parum iuuabit, cum causam doloris extirpare non possint. Quibus nunc generatim euictis, ad speciales istos casus, quos supra considerauimus (§§. I. II. III.), vesicatoria referamus. Nam quae hic de usu vesicatoriorum, parti dolenti applicatorum, respectu

effectuum doloris dicere possem: ea fere ad dicta §. anteced. redeunt.

§. X.

*Usus vesicatoriorum parti dolenti applicatorum,
speciatim consideratur.*

I. In Pleuritide.

Si euicta §. V. num. 3. ad veram Pleuritidem applicamus: tunc facile patet, eidem, generatim consideratae, minus bene vesicatoria opponi. Docet id etiam casus, a BAGLIVIO consignatus & §. V. adductus. Confer. quoque *Perillustr. van SWIETEN* loc. cit. pag. 46. seq. Quum vero qui vesicatoriorum, remotae cuidam parti applicandorum, usum damnant, nihilo minus ob singulares quasdam rationes ea dolenti parti adiuuenda suadeant: inuabit paullo accuratius hac de re differere. At enim vero si §. IX. dicta perpendantur, negare non possumus, pleuritidem ad eos dolores pertinere, in quibus vesicatoria loco dolenti applicari non possunt. Vasa enim sunt stricta, sanguis est commotus, idem contraxit diathesin inflammatoriam, & morbus obtinere solet in plethoricis, sanguineis & cholericis subiectis. Non poterunt itaque in pleuritide, generatim considerata, vesicantia ita suaderi, ut parti dolenti adplicentur. Atque id quoque multi affirmant. BOERHAAVIUS, medelam pleuritidis tradens (*Aphorism. de cognoscend. & curand. morb. §. 890.*), denique, inquit, *omne exsiccans, calefaciens, impetum augens, vitandum, ut calor aëris, solis, foci, lecti, victus, medelae.* At vesicatoria constituunt exsiccans (§. V.), calefaciens, impetum augens remedium. Nonne itaque vitanda? Fere similia habet *Perillustr. van SWIETEN*. Dum enim calidorum remedio-

medio-

mediorum noxam in pleuritide euincit, non solum de vesicatoriis generatim dicit: adeoque videtur concludi posse, quod cantharidum usus minime tutus sit, ubi valida febris, calor magnus & putredinis metuendae signa sunt, addens BAGLI-VII historiam, supra a me enarratam; sed docet etiam generationem, calida quacuis peiorem reddere pleuritidem, sequentia dein addens: *Obseruat SYDENHAMVS, & alias febres in pleuritidem mutari, dum in initio nimis calidis remediis tentabantur, doluitque, nobiles foeminas malle medicandis pauperibus, quam iisdem pascendis, charitatem suam restari. Verum si peruersa talis medela morbum diuersum a pleuritide nata in pleuritidem, facile apparet, pleuritidem iam natam a simili causa debere reddi peiorem. Vidi sic pleuritidem secunda die lethalem, dum, a flatibus dolorem hunc ortum suspicatae mulierculae, dederant repetitis vicibus spiritum destillatum ex seminibus leuistici. In alio homine rotabusto & forti contigit, ut dum, quinto die adhibita venae-sectione aliisque remediis modo laudatis, iam in melius vergeret morbus, & spes felicitis curae affulgeret, vesperi proprio consilio dolenti pectori applicuerit lateres calidos admodum, sique expresserit validos sudores, unde sibi gratulabatur miser; sed sequenti mane moriebatur. Confer. loc. cit. pag. 46. Quodsi nunc omne calidum tam tristes habeat sequelas, si excedat: vesicatoria certe, lateri dolenti applicata, salubres efficere nequeunt, cum lateres calidi vesicatoriis multum sint debiliores. Idem testatur celeberr. TRALLES loc. cit. Sect. II. pag. 210. 211. Non audeo, inquit, vocare in dubium experientias MEADII & PRINGLI, atque, ad quem MEADIVS pronocat, MAYERNII, circa utilitatem vesicantis, mox sub morbi initium ipsi parti affectae admoendi. Noto saltem, non minus per experientias & experimenta constare, cantharides*

augere impetum humorum circulantium, corpus magis calefacere, partem, cui adiacent, inflammare, irritare stimulo suo sensiles fibras, humores nostros equidem dissolvere, sed in liquorem acalescentem & ichorosi quippiam habentem. Non igitur nisi trepida manu admouerem Pleuriticis lateri vesicans, in quo ob violentam febrem, doloremque summum, vrinam parcam & valde saturatam, obitum inflammationis in gangraenam, vel & in suppurationem saltem metuerent. Damnosa itaque sunt vesicatoria, lateri dolenti applicata, si solius pleuritis rationem generatim habeas, atque id certe eo magis, quo certius est, quod, praeter effectum calefacientem, irritent atque vel diluente aquoso eliminato inspissent, vel nimium resoluendo diathesin putridam massae humorum inferant. Satis bene haec omnia perspiciunt, qui eiusmodi remedia descripta ratione in pleuritide commendant. Credunt interea, damna, a vesicatoriis hic metuenda, praecaveri posse, idque tam methodum antiphlogisticam sollerter adhibendo, qua nociva praepediatur sanguinis ebullitio, quam vesicatorio ipso, quod proxime magis in locum dolentem ageret, adeoque potentissime deriuaret, ut ergo non solum hoc remedium prior doloris causa facile tollatur, sed a noua. Etiam humorum circa partem dolentem accumulatione metuenda nulla sit noxa, cum, quamprimum congestio enascatur, deriuante vesicatorio statim iterum tollatur. Ad haec ergo adhuc erit respondendum.

§. XI.

An methodus antiphlogistica adhibita & deriuatio damna descripta certo certius praecautent?

Quod nunc primo diligentem methodi antiphlogisticae usum attinget: ea omnino, quod facile damus, actioni remedium

mediū calidi, quale est vesicatorium, e diametro est opposita. Vesicatoria enim commouent; methodus antiphlogistica temperat; illa resoluunt fluida eaque simul ad putredinem disponunt, methodus vero antiphlogistica resoluit quidem, sed arceat putredinem; haec laxat vasa, aut naturale restituit robur, illa stringunt; methodus antiphlogistica lenit dolores, vesicatoria ab inflammatione ortum dolorem augent. Videri ergo posset, ac si methodo antiphlogistica, maxima cum cura adhibita, damna, ab usu vesicatorii metuenda, rescindere & praecauere possimus. Quid? quod, si congruo methodo antiphlogisticae usu vasa adfecti loci satis sint laxata, vesicatorii particulae huc allatae diathesin etiam sanguinis spissam soluere & sanguinem antea stagnantem deriuare videri possent, vt ergo non solum nullum damnum ab usu vesicatorii enasci, sed maximum quoque emolumentum inde expectari queat. Re autem exactius considerata, longe aliter statuamus necesse est. Quando enim methodus antiphlogistica actioni vesicatoriorum repugnat: vna alteram siue in torum, siue ex parte destruet, sicuti calor frigus, frigus calorem destruit. Si ergo vsus vesicatoriorum destruat salubrem methodi antiphlogisticae actionem: non poterit aliter fieri, quin morbus increseat. Iuuenis, methodo antiphlogistica fere sanatus, calidos dein lateres adplicans, mortuus est, in exemplo, quod *Perillustr. van SWIETEN* enarrat (§. anteced.). Numquid a vesicatorii usu alium licet sperare effectum? Dices, deriuationem, eliminationem materiae; verum patebit dein (conf. §. IX.), eam frustra a cantharidibus expectari, quando morbus increscit. Eo itaque respectu nociva erunt vesicatoria. Verum si ponere velis, methodum antiphlogisticam superare vesicatoriorum actionem: notandum esse puto, 1) non raro dari pleuritides, in quibus omni opus est methodo antiphlo-

riphlogistica, ut quam optime sanentur. In his ergo si usu vesicatoriorum partem actionis salutaris, quam remedia antiphlogistica exserunt, destruere velis: nonne in summum vitae periculum adiges aegrum? Dabuntur idcirco casus, in quibus manifestum est, fieri non posse, ut methodus antiphlogistica vesicatoriorum actionem nociuam ita superare queat, ut haec vno eodemque tempore cum illa sine damno adhiberi possint. Si vero 2) dirae eiusmodi pleuritides continuato methodi antiphlogisticae usu mitiores redditae largior quidem, minori, quam in priori casu, periculo illa in usum vocari posse, si remedia antiphlogistica maxima cum diligentia propinare & adhibere pergimus. At omni periculo hanc medendi rationem vacare, dicere non possumus, cum similem methodum tristis secuta sit mors in iuvene pleuritico, fere iam sanato (§. anteced.). Neque video etiam, quid nos in eo pleuritidis, methodo actioni vesicatoriorum opposita iam mitioris redditae, casu, generatim considerato, cogat, ut vesicatoriis uteremur, remedio diro atque periculoso. Nonne enim methodus antiphlogistica continuata, ea, quae inceperat, etiam absoluet? Atque sic etiam 3) is diiudicari debet casus, ubi pleuritis sub initium statim leuis leuiorem tantum methodi antiphlogisticae usum postulat. Tunc equidem, ea accuratius adhibita, vesicatoria quadrare possent; at iis non opus est, cum ad remedia duriora pertineant atque morbus in hoc casu tandem mitioribus cedit. Quare, licet adhibeatur methodus antiphlogistica, in curanda tamen pleuritide, in se spectata, iure abstinemus ab usu vesicatoriorum, parti dolenti applicandorum. Superest, ut ad id argumentum respondeamus, quod ita proponunt, ut putent, damna ab usu vesicantium appositorum euenientia praecaveri, dum vesicatorium ipsum insignem humorum copiam eua-

cucit

cuet atque sic caueat, ne ab effectu cantharidum commouente & irritante noua doloris caussa enasci queat. Hoc autem argumentum omni destitutum esse fundamento, si generatim pleuritis vera consideretur, facile patet, quando perpendimus, vesicatoria stricturam vasorum augere & loca, quae ranguunt, inflammare. Hinc soluere, discutere & euacuare particulas inflammantes non potest. Stasin inflammatoriam potius augebit.

§. XII.

Res, quae circumstant in Pleuritide, vesicatoria nonnunquam postulant.

Quamquam vero vesicatoria, si cum genio verae pleuritis comparentur, minime conueniant: incidunt tamen nonnunquam casus, ubi cum summa aegri pleuritis saluate adhiberi poterunt, atque etiam lateri dolenti adplicata. Quum vero ex antecedentibus pateat, ideo vesicatoria in pleuritide generatim vsurpari non debere, quod nimium vires corporis aegroti excitent: elucescit etiam, non nisi tunc in usum vocanda esse, quando vires, quae languere non debent, sint oppressae. Haec oppressio a grauitate inflammationis, in peripneumoniam transeuntis, a putrido statu, ab inertia vasorum totiusque habitus, a materia pulmones opplente, & a venaefectione nimium frequenter repetita originem sumere solet. Si a gradu inflammationis nimium aucto, aut a putrido statu pendeat: quam maxime iterum ab usu vesicatorii abstinendum erit, cum adplicatum vesicatorium vtrumque statum augeat (§§. IV. V.). Quodsi vero virium oppressio a laxitate & inertia vasorum & partium, a frequentiori venaefectione, a materia viscida pulmones replente oboriatur: ad vesicatorium fugere possumus. Ista enim virium oppres-

oppressio efficit, vt vel sputum in pulmonibus retineatur, suffocationem demum inferens, vel, omni adhibita methodo antiphlogistica, dolor remaneat, cum vasa & loca inflammata, ob virium depressionem, minus valide agant, adeoque globuli stagnantes recte discuti nequeant. In hoc nunc statu si adhibeantur vesicatoria, vasa irritant, & materias soluendo easque deriuando insignem opem adferre possunt. In simili statu adhibuit BAGLIVIVS, vt supra vidimus (§. VIII.), vesicatoria duo ad tibias, & addit: *Sancte fateor, ex centenis aegrotantibus vix paucissimos obiisse, qui praefata methodo tractati fuere a doctissimo quodam Medico in celebri Xenodochio, idque potissimum obseruauimus anno 1694. Romae hyemali tempore, quo pleuritides epidemicae copiose grassabantur, ob intensissimum illius tempestatis frigus, a copiosis niuibus & gelu productum. Introducto namque acri cantbaridum sale in sanguinis massam & mox in pulmones, in quibus stagnatio metuebatur, incipientes coagulationes soluebat, humoresque pristinae circulationi restituendo, & spirandi difficultatem imminuebat, & exitum sputi promouebat, cum aegrotantis leuamine (loc. cit. pag. 656.).* Atque celeb. TRALLEES (loc. cit. pag. 210.) bene, inquit, recordor, profuisse suasisse meo, BAGLIVIVM sequentis, *Viro strictiori habitu corporis praedito applicata suris duo vesicantia, cum, non obstante omni apparatu medicamento antipleurifico, haerens in subsidium vocato, suffocationi proximus videretur viresque expectorationis insufficientes essent.* Confer. etiam celeberr. TRILLER *Tract. de Pleuritide* pag. 76. Si vero vesicatoria suris applicata, aut aliis remotioribus partibus, tantum prodixerint auxilium, quando in pleuritide vires fractae sunt: multo magis sperare possumus, fore, vt idem praesent, si loco adfecto admoueantur. Et ad hunc quoque casum refero id, quod

de

de usu vesicatorii in Pleuritide addit Perillustr. van SWIETEN (loc. cit. pag. 48.). Norandum interea, neque hic semper profuisse vesicatoria. Est adhuc, quod moneam, inquit Illustr. de HAEN (Rat. med. Part. I. Cap. II. pag. 26.), *desperatis pleuriticis, post sufficientes, saltem copiosas, euacuationes, epotum cum Opio oleum & amplum ad dolentem plagam vesicans, nec opinatam adduxisse salutem.* Neque etiam credendum est, ac si aeger numquam in proposito casu sanescere queat, nisi dolenti lateri applicetur vesicatorium. Aegram suam alia ratione sanauit celeberr. TRALLES (§. III.). Ceterum, quando in praedicto casu vesicatoria adhibentur: sudorem etiam nonnumquam pellunt & nociuam diarrhoeam sistunt. Vltimum hoc obseruauit BAGLIVIVS (l. m.). Atque Perillustr. van SWIETEN prouocat (loc. cit. pag. 47.) ad *Acta Edimburg.* quae idem quoad sudorem testantur. *In pleuritide enim epidemica, quae grassabatur verno tempore anni 1722., dum symptomata videbantur poscere quandoque venesectionem repetitam, pulsus postea adeo deprimebatur, ut vix potuerit redigi iterum ad debitum robur, nisi statim applicatis vesicatoriis, quae frequenter profuerunt & quandoque post illorum applicationem sequebatur sudor, qui morbum abigebat, si copiosus & diu proflueret, si minus, luctabantur aegri cum dolore, anxietate & pectoris oppressione, donec deficerent.* Tunc ergo & hoc respectu salutaria esse vesicatoria possunt.

§. XIII.

Argumenta quaedam alia expenduntur.

Atque hic locus erit, de nonnullis adhuc differendi argumentis, quibus clariss. F. C. MEDICVS vitur, ut inde praestantem vesicatoriorum in pleuritide usum corroboret (§. III.). Putat nempe 1) vesicatoria spasmus illum internum aut stri-

E

cturam

Auram tollere. Credit namque, pleuritidem oriri, quando
 vasa sanguifera arteriosa spasmō addiciuntur, atque sic sangui-
 nem in musculorum interstitia pellunt; dum ergo vesicatoria
 spasmus illum soluerent, minui etiam hinc posse inflammatio-
 nis impetum. Non tangam hic argumenta, quibus ad stabi-
 liendam suam sententiam utitur. Nimis enim longus essem.
 Non perpenderē interea videtur Vir clarissimus, quod cantha-
 rides irritent, adeoque spasmi causam suppedient. Quo-
 modo ergo fieri potest, ut eundem leniant? 2) Resolvere par-
 ticulas sanguinis stagnantes. Sed de hac re iam diximus (§. V.)
 3) Vesicatoria praecavere purpuram & petechias. Sed credi-
 bile vix videtur, remedium, quod sanguinem resoluit, ad pu-
 tredinem disponit & commouet, verumque exanthema prae-
 pedire posse. Egregius saltem ALLIIONIVS non ita sentire
 potest. *Seri enim, inquit (loc. cit. pag. 122.), per vesicatoriam
 eductio nullius utilitatis esse videtur — & porro: a vesicari-
 tibus relictum vlcus pustularum eruptionem non prohibet, nec
 imminuit, venenum quoque hac via non educitur, nisi quan-
 do viscidae lymphae miasma inhaeret.* Remedia antipleuriti-
 ca cum congruo regimine longe conuenientius ad praecaven-
 dam purpurae cum pleuritide coniunctionem facere possunt,
 quam vesicatoria lateri dolenti adplicata. Absint ergo haec
 argumenta!

§. XIV.

Vsus Vesicatoriorum in angina & peripneumonia.

Quae adeo fusc de usu vesicatoriorum, parti dolenti ap-
 plicatorum, in pleuritide dixi: ea sufficere possunt, ut pateat
 exinde, numquam anginae & peripneumoniae verae vesicato-
 ria opponi debere, nisi instans vitae periculum, ob coacerua-
 tam materiam glutinosam & viscidam, metuendum sit. Nisi
 enim

enim hoc fuerit, sed sola inflammatio virgeat, vesicantia, utpote propria sua natura inflammantia, quadrare nequeunt. In foemina ista sexagenaria (§. IV.) ab usu vesicatorii oriebatur cum phlogosi angina. Nonne itaque vesicantia, in se spectata, augebunt potius anginam, quam minuent? Peripneumonia vero solvenda febrem & inflammationem minorem postulat (*Perillustr. van SWIETEN* loc. cit. Tom. II. §. 830.). Non possunt ergo ei satis congrue mederi vesicatoria, utpote quae causae sunt febris & inflammationis. Quando interea in utroque morbo suffocatio metuenda, quando in ea peripneumoniae specie, quae spuris solvitur (*BOERHAAVE* loc. cit. §§. 830. 851.), sputi oritur difficultas: sane cum ratione ad vesicatoria, ipsi parti applicanda, confugere possumus, si modo reliqua, quae peragi debent, peracta fuerint. A peripneumonia vera multum differt peripneumonia spuria. Gravis hic morbus ipsaque fere peripneumonia vera grauior, non fert adeo antiphlogistica remedia, neque etiam ea, quae attenuant quidem glutinosum, sed commouent (*BOERHAAVE* loc. cit. §§. 869. 870.). Quare sub initium morbi omnia absint vesicantia necesse est. Quando interea, adhibita venae sectione & reliquis peractis (*IDEM* §. 873.), stagnans in pulmonibus glutinosum solvendum est, regioni adfectae apte vesicatoria imponi possunt. *Nam post venae sectionem, clysmata, diluentia adbibita, dum nullus metus est, ne aucto his stimulis humorum motu plus obruatur pulmo, tuto adhibentur vesicatoria, & pulchram effectum praestant.* Confer. *Perillustr. van SWIETEN* loc. cit. §. 873. p. 809. Haec quidem verba optime etiam ad vesicatoria, loco adfecto applicata, quadrant, licet de iis tantum enunciata sint, quae remotioribus admouentur partibus. Confer. etiam *Comment. de reb. in Scient. nat. & Medic. gest.* loc. cit.

§. XV.

Vsus Vesicatoriorum in cephalalgia, rheumatismo & arthritide.

Pauca tantum de his addam, cum minori dubitationi fit subiectus vesicatoriorum in iisdem vsus. Morbi vero isti nonnumquam similem habent, ac inflammatio, originem, atque etiam haud ita raro ab eadem pendent. Nemo non videt, vesicatoria tunc esse fugienda (§. IV.). Alias a viscida, lenta, acri etiam, loco cuidam impacta materia proficiscuntur. Summe tunc erunt vtilia vesicatoria (§. VI.), si, ubi metus ebullitionis, remedia antiphlogistica cum iisdem adhibeantur. Neque sufficere semper in eo casu, si remotiori cuidam parti adponantur; nonnumquam enim fit, ut adeo fortiter dolenti parti inhaereat materia, ut, nisi proxime ad partem dolentem applicentur vesicatoria, nulla illius ab iisdem discussio & deriuatio speranda sit. Demum in morbis hisce ossa, ligamenta partesque aliae solidae nonnumquam arrosae aut alio modo irritantes, vel per consensum irritatae, causam doloris praebent; atque eo certe in casu deriuantia vesicatoria miserum praebebunt solatium. Sufficiant haec generalia, cum specialiora nunc facile intelligantur.

T A N T V M.







01 A 6543

ULB Halle

002 931 672





3

Sb.

VO18/04/12







TATIO INAVGVRALIS MEDICA
 DE
CATORIORVM
 OLENTI APPLICATORVM
 ALVBRI ET NOCIVO

QVAM
 IVINI NVMINIS AVSPICIIIS
 ET
 RATIOSI ORDINIS MEDICORVM
 LMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
 EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
EA ELIA BÜCHNERO
 I ROMANI IMPERII NOBILI,
 I PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
 SOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
 D. SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
 T. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
 TVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
 ET MONSPELIENS. SODALI,

ADV DOCTORIS
 MEDICINA ET CHIRVURGIA HONORIBVS
 HIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS
 IVNII, A. R. S. MDCCCCLXVI.
 PVBLICE DEFENDET
VVS FRIDERICVS WEITZMANN
 MAGDEBVRGICVS.

VRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELI VIDVAE.

